



8032.

1773, 25.

QVAESTIO
 IVRIS CONTROVERSI
 AD
 ACTIONEM PAV-
 LIANAM,

QVAM
 ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
 ET SOCIETAT. LITER. DVISVURG.
 SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XIII. IAN. ANNO MDCCCLXXIII.

DEFENDET

CAROLVS HIERONIMVS GOTTLIEB
 LEDER,

LOEBAVIA-LVSAT.

LIPSIAE

LITERIS RUMPFIIIS.

8032.





AD

ACTIONEM PAVLIANAM,



A quo tempore corpus, quod ex LL.
XII. Tabul. creditoribus obnoxium ob
aes debitoris alienum, per Legem Poeteliam Papiriam cessavit esse nexum, et
obaerati debitoris bona obnoxia creditoribus facta: mi-
rum non videbitur, si subsequenti aetate vel legibus vel

A 2

Prae-



Praetorum edicto creditoribus auxilia scripta sunt respectu bonorum debitorum obaeratorum. Videtur eo referri posse lex AELIA SENTIA, quae in fraudem creditorum manumissiones seruorum coercuit. Et maxime inter alia Edictum Praetoris, cuius argumentum exhibet *VLPPIANVS* in *L. 1. π. quae in fraud. credit. fact.* atque ex qua edicti formula *actioni Paulianae* origines deducunt, existit. Sed haec ipsa Pauliana actio variis dissensibus et disputationibus causas dedit. Pauca attingamus, speciemque facti nobis dubiam adiiciamus tantum, cum paginae haud ferant latiore tractationem.

§. II.

Quo tempore introducta haec actio, vel quod magis est, edictum propositum, ex quo actio recepta, non liquido constat. Sane, an ea sit actio, quae apud *CICERONEM* *ad Attic. L. 1. ep. 1.* de dolo allegatur, negat quidem *EVERH. OTTO* *ad Inst. L. IV. Tit. IV. ad §. 6.* sed adfirmat implicite *CVIACIVS* *ad l. c. l.* Neque dubia videtur Cuiaciana opinio ob verba: *Agere coepit cum eius fratre Caninio Satyro de iis rebus, quas cum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret, vna agebant caeteri creditores. Mancipio accepisse sine dubio traditionem* indicat, quae interueni-

ueniente mancipatione facta, et *doli* mentio fundamentum Paulianae exhibet. Ex dolosa rerum in fraudem creditorum facta traditione agunt creditores. Ita illa, quam definit IUSTINIANVS §. 6. *Inst. de act.* actio quoque comparata esse videtur.

§. III.

Sed an illa actio, quam Praetor in Edicto pollicetur, et quam Iustinianus exhibet, eadem sint, grauissime dubitatur, quippe Praetoria illa in factum personalis, haec Iustiniana realis esse videtur. Dissentiunt eruditi; et profecto re accurate perspecta aut errauit Iustinianus, vel magis compiler Institutionum Theophilus, aut sunt plane diuersae actiones, quamuis Theophilus Paulianam nominet, aut prioris Paulianae naturam personalem immutauit Imperator. Quamuis delictum vix committi posse putem, si quis dixerit, errasse Theophilum Institutionum artificem; tamen ab hac inculpatione eundem immunem pronuntiarem potius, quam accusarem negligentiae. Vix enim credibile, naturam actionis ignorasse Theophilum. Aliam ergo et diuersam habent actionem alii, vt Eu, OTTO *ad*

Inst. c. l. qui eam deducit ex Pignore Praetorio per missionem in bona debitoris ex primo decreto creditoribus dato, cum contra eam, quae in Titulo Digestorum tractatur, ex solo facto alienationis doloso contra doli confcium Praetor concessit. Illa omnino realis esse poterat, haec contra personalis, et haec proprie Pauliana vocabatur, quae conueniebat in fundamento cum Fauiana atque Caluisiana actione, teste PAVLO in *L. 35. π. de vsur.* Et ita etiam lis ille, an inter reales, an personales referri possit *Pauliana*, facile definiri potest. Non est dubitandum, eam, quae ex ipsis Edicti Praetoris verbis prouenit, personalem esse, vel, quod in factum actio dicitur, et ex facto alienationis et acquisitionis dolosae veniat, vel, quod nunquam contra possessorem detur, quod tamen in actionibus in rem semper apprehenditur, imo, quod in eos detur potius, qui acquisitione dolosa sese obligarunt, et adeo contra heredes detur, quatenus sunt heredes, non quatenus possident. Testis est VLPIANVS in *L. 10. f. π. quae in fraud. credit.* Haec, inquit, *actio heredi ceterisque successoribus competit, sed et in heredes similesque personas datur.* Contra ex ratione Edicti altera venit, quae improprie Pauliana dicitur, quae ad exemplar Publicianae rescissoriae introducta, et quam ideo etiam Imperator cum illa rescissoria connectit,

ea ob eandem causam realis, ob quam Publiciana rescissoria realis dicitur. Et sicuti illa adhibita fictione, rem vsucaptam non esse, quae tamen vsucapta erat, vindicandi ius domino, cui dominium ex fictione saluum erat, tribuit, ita alia fictione debitoris ius seruat, scilicet, fingit, traditam rem non esse, quae tamen tradita erat, quo creditores rem ipsam persequi possent, qui in bona debitoris missi. Quare nec Imperator distinguit, a quo illa per Paulianam improprie dictam vindicatio rerum in fraudem creditorum alienatarum fieri debeat, cum contra Pauliana illa personalis tantum contra doli conscium detur. Mitto, quae disputauit tam BACHOVIVS ad *I. c. l.* quam DONELLVS, et contra eum RITTERSHVIVS ad *I. b. t.*

§. IV.

Sed alia quaestio adhuc praemittenda: An scilicet ab omnibus creditoribus institui possit, an ab iis tantum, qui missi in bona debitoris, antequam alienatio ad creditores fraudandos facta a debitore malo consilio, quod et euentum fraudationis habuerat. Sunt, qui putant tantum a creditoribus, qui missi in bona debitoris, hanc actio-



actionem institui posse, vel ex eorum iure a curatore bonis dato post honorum cessionem. Probant ex verbis §. 6. l. de act. bonis eius a creditoribus ex Decreto Praesidis possessis. Prouocant amplius ad Rescriptum DIOCLETIANI ET MAXIMIANI in l. 5. C. de reuocand. his, quae in fraud. credit. Ignoti iuris non est, aduersus eum, qui sententia condemnatus intra statutum tempus satis non fecit, nec defenditur, bonis possessis inemque distractis: per actionem in factum contra emtorem, qui sciens fraudem comparauit, et eum, qui ex lucratiuo titulo possidet, scientiae mentione detracta, creditoribus suis esse consultum. Sed sicut rescriptum ad speciem singularem, quae ab eo creditore, qui forsitan bona possederat ex sententia magistratus, in literis supplicibus Imperatori exhibitam restringendum, generale ius haud constituit, et vnus posirio, ex regula philosophorum, non inuoluat alterius exclusionem, ita nec, vt supra monuimus, actio, quae §. 6. l. de act. ea Pauliana exhibetur, quae in digestis exponitur, vt exinde regula desumi possit. Quapropter DONELLI opinio reprobanda non omnino videtur, qua putat, competere actionem reuocatoriam, etiamsi bona a creditoribus possessa non sint. Videntur hanc opinionem defendere ipsa verba Edicti in l. 1. π. quae in fraud. credit. propositi: DE HIS CURATORI BONORVM, VEL EI, CUI DE
EA

EA RE ACTIONEM DARE OPORTEBIT

Facile patet generaliter edixisse Praetorem, non in eorum tantum commodum, qui missi erant in possessionem bonorum, sed in quorum fraudem alienatio fuerat facta. Nec me mouet RITTERSHVSII c. l. argumentum ex L. 6. §. 7. π. quae in fraud. credit. In hac enim lege non acquiritur nec alienatur in fraudem creditorum, sed creditor sibi inuigilaerit repetendo accipiendoque integrum debitum, antequam missio in bona facta fuerat, et mirandum non est, negari reliquis creditoribus contra alium aeque creditorem Paulianam, nam nulla hic fuit bonorum alienatio in fraudem; qui enim integrum, quod alter debet, et petit et accipit, suo iure vitur, vt exinde argumentum duci nequeat, quod Pauliana institui nequeat, nisi post missionem in bona debitoris: poterit magis quoque institui, si in fraudem alienauerit, licet missio facta non sit, dummodo et fraudandi consilium et euentus adfuerit,

§. V.

Sicuti vero laesio et fraus adesse debent, putat BOEHMERVS de actionib. Sect. II. Cap. II. §. 27. huic actioni locum esse, si motus concursus curatorque bonorum datus

B

fit



fit, a quo potissimum institui soleat haec Pauliana, Negari nequit fraudandi animum non adesse solum, sed et probari debere, imo conici potest fraudulentum consilium, si sciat debitor, sua haud sufficere posse bona creditoribus, et tamen liberalius alienat. Debet autem praeterea certum esse, vere defraudatos ipsos creditores, seu damnum creditoribus enatum esse. Haec fuit causa, cur post motum concursum putet institui debere a curatore bonis dato. Sed debebat attendisse BOEHMERVS ad reliqua verba: *vel ei, cui de ea re actionem dare oportet;* et praecipue ad auctoritatem VLPIANI in *L. 10. §. 6. n. quae in fraud. credit.* Ait enim ICTUS: *Praeterea sciendum est, posse quaeri, quod dicitur in fraudem creditorum alienatum reuocari posse: Si iidem sint creditores, et si VNVS creditor sit ex illis, qui fraudati sunt: (sive solus tunc fuit: sive, cum caeteris satisfactum est, HIC SOLVS REMANSIT,) probandum, adhuc actioni fore locum.* Facile patet ex hoc capite, si reliquis creditoribus satisfactum, et vnus supersit laesus per alienationem rerum in fraudem factam, eum vnum adhuc Pauliana instituta posse reuocare, quod in fraudem factum gestumue fuerat, vt non tantum a curatore bonorum, sed et ab ipso creditore reuocatio fieri possit. Quam opinionem fanciuit quoque DECIS. ELECT. *Noviss. d. A. 1746, eaquo XXV.* *Erüge es sich auch ferner zu, daß Jemand einer Erbs*

Erbſchaft, oder ſonſt ſeines Nechtens ſich begeben, und es entſtünde nachhero zu ſeinem Vermögen ein concursus creditorum, oder es würde auch ſolches zu Bezahlung eines einzigen Gläubigers nicht zureichend befunden, ſoll ſowohl der Curator litis, als der Gläubiger, da er an Seiten des Schuldners, daß der Abfall der Nahrung zur Zeit der beſchehenen Renunciacion bereits vorhanden geweſen, erweiſen wollte, darmit, jedoch nebst Vorbehalt des Gegenbeweiſes vor den Schuldner, oder den, der cauſam von ihm hat, gehdret, nicht minder auch darüber der Eydes Delation wider beyde ſich zu gebrauchen, zugelaffen. ic.

§. VI.

Iam speciem adhuc breuibus adiungamus. Titius, qui variis creditoribus erat obnoxius, ex parte nonnullis ipſemet ſatiſfecit, reliquis Caius ſoluit pro Titio. Fit ergo Titius ſolius Caii debitor. Poſtea non ſatiſfacit Titius ad eum modum, quem Caio promiſerat. Interpellatus ſaepius a Caio Titius, dilapidare bona incipit, et demum, cum iam vix ſufficerent amplius bona ad ſatiſfaciendum Caio, eo conſilio, vt Caium deciperet fraudulenter, fundum, quem habet, ne dimidio quidem pre-



tio Paulo, qui prauum sciebat Titii consilium, vendit. Pecuniam postea interpositis, vt probabile est, conuentionibus, remittit adhuc debitori Paulosaltrem ex parte. Quod cum factum experiretur Caius, fraudemque detegeret et laesionem, quaesitum est, vtrum reuocare posset remissam pecuniam, an potius ipsum fundum. Et puto, quamuis nec concursus creditorum adsit, nec bonorum curator, ipsum Caium probata laesione et fraude ipsum fundum reuocare posse.



ULB Halle
004 758 501


3



56







8032.

1773, 25.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AD
ACTIONEM PAV.
LIANAM,

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.
SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO
DIE XIII. IAN. ANNO MDCCCLXXIII.

DEFENDET
CAROLVS HIERONIMVS GOTTLIEB
LEDER,
LOEBAVIA-LVSAT.

LIPSIAE
LITERIS RUMPFIIIS.